CALAMVS TRIVMPHANS
HOC EST
DESCRIPTIO
POETICA CALAMI SCRI-
PTORII A PRIMA ORI-
GINE ET COMMODIS
AD GENVS HVMA-
NVM EX IPSO RE-
DVNDANTIBVS.

Decantata & luſa
à
IOACHIMO MARINO.

Ad Lectorem.

Inventum Latijs, amice Lector,
Ignotum tibimet damus Poëtis
Cantando tenui, rudique venâ
Ingentes Calami, novaſque laudes;
Et tu ſi Calamo faves, favere
Vt nos ipſe vides, tuam rogamus
Et hoc in ſtudio pericliteris
Camœnam, meliora deſque; SALVE.

Eccleſ. 10. v. 5.

Super Scribarum faciem impo-
ſuit DEVS honorem ſuum.

HAGÆ-COMITIS
ANNO M. DC. LVII

AMPLISSIMIS ET CLARISSIMIS VIRIS,

Dn. ~~GERARDO~~ PETRO van deR (E) MARSCHE, JC.

PRÆTORI IN SOETERWOVDE

EXIMIO.

Dn. SIMONI uan LEEUWEN, JC.

SECRETARIO IBIDEM DIGNISS:

Dominis ſuis plurimum obſervandis hoc Carmen
devote dedicat & offert

JOACH. MARINVS.

HEroum inſignes alij cecinêre Triumphos,
Inſignes ipſi, Fabij, fortiſque Luculli,
Aut quæ Cornigero prognatus Numine quondam
Erexit Darium contra dixêre Trophæa:
Sed nos in Clarijs qui non dormivimus hortis,
Fonte Caballino vel docta rigavimus ora,
Inſtar Divorum, quos vidit ſerior ætas,
Aut hæc quæ nobis genuerunt ſæcula, Vatum,
Mavortis Laurus, & perfida linquimus arma
Bellonæ Sobolis, ſcripturi ab origine prima
Pierij arma Ducis, Calamus quæ ſcilicet ater,
Quaſque ferat Palmas his armis Phœbus in Orbe;
Aſt ò virgineæ, decus ex Helycone, Sòrores
Et tu Pegaſidûm Cuſtos fidiſſime, ſanctam
Cujus deſcribo Pennam, tum concino laudes,
Adſis, & juſtas largire in carmine vires,
Dum velut argutos inter ſtrepit Anſer Olores;
Eſt avis in terris clamoſa, ſimillima Cygno,
Raucìſonos edens ſtrepitus, adamata profundos
Amnes, innando totas noctesque dieſque
Sæpè terit totos, viridantia gramina paſcens,
Tum quando æſtivos ſpatioſius exigit ignes
Titan, & cancri ferventia ſigna rubeſcunt,
Excludit pullos, non ipſa per aëra ſummum
Imbelles venatur aves, ſacer ales in altâ
Vt ſequitur milvus ſublimem nube columbam,
Aſt humilis, terras & diligit oſa frequentes
Nec cætus hominum; GANZAM dixère vetuſti,
Hæc avis, hæc quondam Latio de ſanguine cretis
Sacra fuit, ſemper Tarpæja & vivere in arce
Sanxerunt, noctu totam quod ab hoſtibus urbem
Servârit, ſomno, excubijs, vinoque ſepultis:
Fortè ſed auguſtam cum milite cingeret Vrbem
Hancque Orbis Dominam flammis, ferroque cruento
Perderet, ac miſerè deleret barbarus hoſtis
Horrificum intentans lethum & miſerabile fatum,
Vt ſua nunc etiam veteris monumenta decoris
Defleat aſpiciens; volucrem formoſus APOLLO,
Crudelem contra rabiem protexit, & auſus
Indomitos ſecum Parnaſſi duxit ad arcem;
Eja volucris eris mea tu, Pater optimus inquit,

GANZA

GANZA ſagax poſthac, ceu præpes adunca Tonantis
Fulmina ferre ſolet pedibus jaculanda fragoſo
Cum tonitru, aut pulcher quem Iuno diligit ales:
Et jam tempus erat, propriori ſole relicto,
Cynthia quo primum cornu dubitanda refulget
Excludens Boream, quo cœlum arridet, & anni
Tempora conſpergunt viridantes floribus herbas,
En nova non oculis vnquam ſpectacula viſa,
Aönîæ turbæ volucris Parnaſſia præbet;
Fortiter vt tergo ſua ſpicula torquet in hoſtes
Delphin, inſidias ponti ſpumantibus undis,
Cum ſibi moliri, & prodi per retia ſentit:
Sydera ſic ſtrepitu feriens Parnaſſius ales
Ingenti, & ſeſe per inania nubila librans,
Alis è geminis, geminas quaſi ferret in hoſtem
Emittit pennas, magno ſtridore vibratis,
Nec mora, præcipiti quando certamine campum
Corripuêre, ruuntque effuſæ graminæ MUSÆ,
Adſiſtunt, mirâ confuſæ & imagine rerum
Converſæque oculos inter ſe, atque ora tenebant;
Lauriger ipſe, premens alto ſub corde ſtuporem
Dextrâ ſurripuit pennas, & cuſpide durâ
Vincere cum Calamos reliquarum pene volucrum
Cerneret, actutum Sanctos decrevit ad uſus:
Secula tunc fuerant, quibus immortale DEORUM,
Ac hominum genus, immenſi per climata mundi
Aſſolitum ceræ, raſoque infundere ligno
Verba ſtylo fuerat, non conveniente libellis
Fingendis formâ, nec pectoris abdita ſenſa
Expandenda alijs, terris habitantibus Indis,
Vel juxta Oceani metam, Solemque cadentem,
Finibus Æthiopum extremis, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum,
Hinc tot doctiloquæ quondam periêre tabellæ
Autorum veterum, quorum vix nomina noſtram
Ætatem tetigêre, & quorum funera totum
Cum lacrimis revocat Doctorum vulgus ab orco,
Aſt ita dum recoquit varias ſub pectore curas,
Mulciber ecce venit, revocatum carmine vires
Muſarum dulci, cui farier infit APOLLO:
O DEUS ignipotens, & nos hac luce Labores

Nempe

Nempè tuos cupimus, Clypeos non, ſive ſariſſas
Expetimus (fera namque decent geſtarier arma
Mavortis prolem, vulnuſque necemque tonantem
Aſſiduo ore) pares ſed protinus arte Magiſtra
Cultellum chalybis tenui de pondere duri,
Dixerat: Ignipotens nec tempore ſegnior ipſe,
Mollibus è pratis opera ad fabrilia ſurgit,
Interea exercent ferrum Cyclopes in antro
Bronteſque Steropeſque & nudus membra Pyragmon
Ocyus incumbunt omnes, pariterque laborem
Attentant, ferrum vaſtâ fornace liqueſcit
Vulnificuſque chalybs, multumque incude gemente
Optima Laurigero conformant arma ſecandi;
Hæc eſt illa Dies, albo ſignanda lapillo,
Dignaque quâ requieſcat humus, requieſcat Arator,
Dum fuit ipſa Parens CALAMI fauſtiſſima noſtri,
Hæc eſt illa Dies omni memorabilis ævo
Quem Charites, Muſæque ipſæ, Phœbuſque frequentant;
Namque vbi verticibus petit arduus aſtra duobus
Parnaſſus celebris, ſuperatque cacumine cœlum
Et quoque ſponte ſuâ ſurgit Parnaſſia Laurus
Et Myrthus latè ramos diffundit in auras
Sunt vbi Pegaſides, doctæ Dryadeſque puellæ
Calliopeſque Deæ carmen modulantur avenâ
CYNTHIVS ipſe Deus docta ratione paravit
Scalpello calamum, crenamque infindere pennæ
Terrigenas docuit, foliiſque inſcribere verba;
SALVE ſancta Dies, non pectore condita noſtro
Immemori vigeas, te nulla obliteret ætas
Donec honor Phœbo doctis & Gloria Muſis
Dum ver triſtis hyems, Autumnum proferet Æſtas
Robora dum montes, dum pabula mollia campi
Sydera dum Cœlum, dum ſpumas Iſter habebit.
Nec mihi ſi centum linguæ ſint oraque centum
Ingeniumque capax totumque Helycona dediſſet
Lauriger, idcircò complecterer omnia verſu,
Commoda quæ CALAMI Phœbeja munera nobis
Tanta gerunt, Etenim quis nunc monumenta Sophorum
Integra ſervaret? felices carmine Vates,
Quos plus Pierio de cœtu Phœbus amavit,
Quique Sophocleo ſuras vinxere Cothurno

 Et qui

Et qui maluerunt humiles inducere ſoccos,
Qui Chaos & teneri prima incunabula mundi
Et Divûm genus atque hominum, & Titania ſæcla
Non humili dixēre tubâ, ſimul æditâ partu
Gramina, frondiferumque nemus, genteſque ferarum
Quis noſſet? crenam nobis ſi fata negaſſent,
Crena equidem medium eſt, quo ſolo in luminis auras
Prodimus ingenij fœtus, & funere tandem
Extincti gelido famâ poſt ſecula multa
Vivimus, addimus ac ſeclis memoranda futuris,
Hæc florere facit ſtudijs & legibus vrbes,
Hæc animos juvenum ſtimulat, ſtimulatque Virorum,
Excitat hæc artes, mundi hæc moderatur habenas,
Hæc eſt quæ noſtras extollit ad æthera mentes
Ac generat, qui jura regunt, qui legibus vrbes
Et ſanctis recti populos moderantur habenis.
Efficit hæc claros homines & honoribus aptos,
Qui ſibimet, domuique ſuæ, Patriæque decenter
Conſulere, ac dubijs rebus ſuccurrere norint.
Hinc fluit omne Sophos: Muſarum heic Phocis abundat.
Hac ſine nil poſſunt Magnatum fulgida ſceptra,
Per hanc regna vigent, per hanc benè flectitur orbis,
Quæque ſub incurvo variantur plurima cœlo,
Quâ ſine cuncta ruunt animo quæcunque capeſſis.
Hac duce enim florent, rerum commercia, Muſæ,
Artes ingenuæ, ſine queis mortalia cuncta
Nec totus poterit recte ſubſiſtere mundus:
Candida & hinc viget Pietas, hinc jura Quiritum
Dat tabulis inſculpta Solon, Epidaurius herbas
Hinc trutinat, morboſque abigit, & regula veri
In Sophiæ ſtat fixa manu, nunc Græcia quicquid
Quicquid Arabs, Solimæque tegunt Sapientia dictat.
Ecquis Thejologûm ſciret monumenta beata
Qui cœli monſtrare aditus, & pandere ſuērunt
Flammantis limen, quà Sidera læta reviſat
Errabunda hominum gens, & potiatur Olympo,
Quos nigropeplarum crudelia fata Sororum
Surripuēre orbi, quâ jam meſſoribus æſtas
Sexcentis redijt vicibus, centenaque luſtra
Annumerâre iſtis Majores, ecquis Achillem?

Quis

Quis Trojam ? Niniven ? Babylonem ? mœnia ſancta
Vrbis vel Solymæ, niſi nunc quoque publica ſcripta
Funera monſtrarent illorum, & rudera flenda:
Adſpice tot magni ductos ab origine mundi
Ingentes Herôas & inclyta pectora factis
Quâ noti ratione forent, quæ cognita virtus ?
Obruta tot Procerum tenebris pia fama jaceret,
Scriptorum nî docta manus comitante Minervâ
Fortia facta Virûm memori tranſmitteret ævo.
Quid magnus foret Alciades ? quid ſtrenuus Hector,
Quis pius Æneas, virtuſque probata per ignes,
Romanive Duces, Fabii, fortiſve Camillus ?
Scipiadæ ingentes, reducem quis noſſet Vlyſſem ?
Aut Paridem, Priamumve Senem, ni Thracius Orpheus
Sævaque Mœoniæ cœpiſſent bella Camœnæ
Aoniâ celebrare lyrâ ? nec primus Atrides
Trojanas invaſit opes, nec Pergama primùm
Hectoreâ defenſa manu, ſed multa Virorum
Agmina præclaros retulerunt antè Triumphos
Qui nigrâ ſub nocte latent, quia Cantor Homerus
Defuit, & culti neſcivit Muſa Maronis;
Nam benè de Patria, Sudore, opibuſque merentes
Herôas celebrare decet, (merces ſua cuique eſt)
Geſtaque præclaris meminiſſe ingentia factis,
Et res qui gerit egregias, tunc munera factis
Digna refert tantis, nitidum cum Fama per urbes
Oſtendit vectum Musarum in curribus altis:
Plectra Duces celebrant, Regumque ingentia facta
Et veterum laudes, præclaraque facta Virorum,
Ob res præclare geſtas Pater ipſus Homerus
Grandiſonis numeris magnum celebravit Achillem:
Quin & ab hoc pluximùm celebrantur Martius Hector
Et Telamoniades clypeo ſeptemplice tectus;
Hi famâ celebres jam nunc quâ parte manerent
Ni vigil hos fato exemiſſet cura Thaliæ
Tantaque Lethæris revocaſſet nomina ab undis.
Jure igitur tales ſedes Pietatis honorat
Proque polo & Divis & pro ſolennibus aris
Pro cariſque focis, Patriæ pro limine terræ
Qui forti fortes armarunt cuſpide dextras
Vt proprio fortem profundant ſanguine vitam;

Famæ

Famæ vivat honor, vivant & nomina clara,
Inclyta nec tantis aboleſcat Gloria factis!
Denique quis Cœlo quondam delapſa ſupremo
Jura? quis Eunomiæ leges? diſcernere curvo
Rectum quis poſſet? quis ſanctius ore Tribunal
Veridico regeret, cuncta ſine mente ruente
In populo exortas lites ſedaret & omnes?
Ecquis jura daret, vinclis & carcere duro
Indomitos infrænaret, ſed præmia contra
Iuſta daret, leges non aſpernantibus æquas?
Hem ſine juſtitia, ſine ſceptro, vindice & enſe
Principis, haud unâ mundus ſubſiſteret horâ,
Audires cædes, tectorum incendia, fraudum
Mille dolos, ſacras atque atque rapinas
Et quæ præterea ſexcenta piacula, Pennæ
Si levis in mundo ceſſaret maximus uſus.
Diva Themis librans cauſarum pondera lance
Iuſtitiam cuivis nullo diſcrimine dictat
Vnde ſacro totum moderamine temperat orbem
Et ſtringit ſcelerum vindex in crimina Numen:
Cuique ſuis reddens pro dignis præmia geſtis
Fas æquumque regit, ne præponatur honeſto
Vtilitas, vitiumque ferat pulcherrima Virtus,
Hanc neque pauperies, neque opum furioſa cupido
Deturbare gradu, non ſortis triſtia terrent,
Hæc Domina & Regina potens eſt ſola perennis,
Hæc primùm ê ſylvis Homines in tecta vocavit,
Mutua in diſperſas duxit commercia gentes
Conſilia & mores bellum pacemque gubernans.
Hac ratione amplos ſibi JUSTINIANUS honores
Vendicat, & meritò, quis enim felicior illo?
(Fultus utriſque bonis, hinc armis, legibus illinc)
Ille Triumphator felix, pius, inclytus Heros
Legibus æternam meruit geſtare Coronam,
Et niſi civili pro cognitione labores
(Ductus amore ſacræ colimus quam Iuſtitiai)
Immenſos toleraſſet ovans, non Fama Superſtes
Tanta foret celebris ſub poſteritate Triumphi;
Bellica vis magna eſt, ſummis decoranda Triumphis,
Sed major populis ſapienter condere leges
Conſilioque bono Patriam civeſque juvare.

Tantus

Quos ignis Cœli Cyllenius erret in orbes,
Arcturum, Pluviaſque Hyadas, geminoſque Triones
Aſtrorum vires obitus dignoſcet & ortus?
Lucifer unde micet, quave Heſperus, unde Bootes,
Saturni cur ſtella tenax, cur Martia pugnax
Axem ſcire Helices, & triſtem noſſe Cometen,
Scire vias maris & cœli prædicere curſus
Et quæcunque jacent tanto miracula mundo,
Infœlix ſemper, rudis & ſine tempore vita
Eſſet, non feſti rediens adduceret annus
Pompas, non operas ſuſpenſo vomere ſuetas
Ruſtica ceſſaret pubes, non gurgite ſalſo
Merces allatum varias, Mercator ad oris
Curreret Eôas, juxta ſolemque cadentem
Audax, non menſis nobis, non annus & eſſet.
Tempora ſurriperent ſi dantes tempora faſtos;
Nunc cœlos tranant ipſos, & conſcia fati
Sydera ſcrutantur numeris, mundique meatus
Deſignant radio & ratibus maria invia luſtrant,
Ac penetrant convexa poli, Soliumque Tonantis
Vſque adeo æthereæ via nulla eſt invia menti,
Ventorum nunc ille vices, nunc fulminis ortus
Monſtrat & eliſis crepitantes nubibus auras,
Atque in Conſilium Maria advocat, æthera, terras
Naturamque omnem, atque animo præſcita recenſet
Defectus Solis varios, Lunæque labores
Et ventura ſimul, tranſactaque ſecula volvit
Et rerum eventus, ſenſu præſagit acuto,
Quo ſegetes veniant campo, quo ſidere tellus
Vertatur, quod ſit falcis, quod tempus aratri
Atque perennantes alterni temporis horas;
Et cœli anfractus varios, lapſuſque viceſque
Divina indagat cura, ſtudioque ſagacis
Ingenij & docto numerorum indaginis uſu,
Ætheris immenſi Zonas diſtantia regna
Aërios tractus penetrat terramque profundam,
Dicit & occaſus aſtrorum dicit & ortus
Atque etiam ambages cœlo quibus impiger errat
Mercurius, Veneriſque vices, quid triſtia Martis
Sidera, Leucadijque Senis mortalibus ægris
Portendent, quo ſit Cœlum variabile motu,

Naturæ

Naturæ Phyſicus formas, ſpecieſque creatæ
Veſtigat varias, cauſſarum indagat abyſſos,
Nubes, halones, ventos, meteoraque cuncta
Materiemque horum venientem ex viſcere terræ,
Et quid quæque ferat tellus, quæ commoda Baccho,
Quæ Cereri, quidnam ventos, quid nunciet imbres,
Quæ ſint, quæ fuerint, & quæ ventura ſequantur.
Vnde volent celeres æquatis paſſibus Anni,
Et Menſes, Horæque fluant, qui temporet orbem
Circuitu ſolare jubar, qui lucida Phœbe
Singula venturo diſtinguat tempora menſi.
Cur gelido micet orbe Senex, cur falce minetur
Terrigenis, claroque ferat ſe Iupiter aſtro.
Cur rubeat Mars igne ſuo, quo lumine Cypris
Ardeat, & venis indat mortalibus ignem
Blanda Venus, quo ſe moveat Cyllenius orbe.
Quid faciat duras Hyemes, cur Sydere Capri
Horreat algentis ventura ferocia brumæ,
Atque imbres cœlo gelidos, nubeſque nivales
Deferat Hydrochoos, fractoque Hyperionis igne
Contecti furvâ lateant ferrugine Piſces.
Phryxæum quid Vere pecus, quid Cornua Tauri
Efficiant, quo ſigna beent Ledeïa terras.
Cur Cancer fuſcet Meroën, toſtâque Syene
Fulgura Marmarico veniant excuſſa Leoni.
Quid blandam trahat Erigonen, Chelæque nocentes
Acturo naſcente ferant, quo vulnere pungat
Scorpius, & miſſæ nervo ſtridente Sagittæ.
Sive quid occiduæ nimboſum Plejadis aſtrum
Hybernis portendat aquis, aut cum ipſa reſurgens
Occluſum tonſis aperit ſpumantibus æquor.
Hoc quoque cur ſiccas poſt ſydera reſpuat Arctos,
Squammoſuſque Draco ſinuoſo corpore cœlum
Cæperit, & tardus volvens ſarraca Bootes.
Aut vt Apollineo pulſatum pollice victor,
Syderibus donârit ebur, cur Cephea fuſcum
Intulerit cœlo Meroë, formaque ſuperbam
Caſſiopen, cur mæſta feræ devota marinæ
Fleverit Andromede, templiſque illata ſerenis
Spectet in æthereo vicinum Perſea dorſo.
Quot ſtellas Auriga trahat, loriſque ſolutis

Circum

Tantus honor Legum Iuriſque ſerena poteſtas!
Laus tribuenda Viris, qui iuſta lance miniſtrant
Sacratas leges, præſcriptaque jura tuentur,
Qualia bis ſenis tabulis ſanxêre Quirites,
Aut Prætoris honos, aut Cæſaris alta poteſtas.
Et benè res fœlix tum publica creditur eſſe
Cum ſapit & Princeps, ſapientum gaudet & uſu,
Vt Iuris nodos Legumque ænigmata ſolvant
Vtque internoſcant quid iniquum diſtat ab æquo
Atque intricatas poſſint componere lites,
Ore loqui docto & virtutem extendere factis,
Cernere venturos caſus, dubijſque periclis
Conſilium intrepido vultu præbere ſalubre;
Rex prudens populi eſt columen, multuſque Virorum · *Sap. 6.*
DOCTORUM NUMERUS LUX EST ET GLORIA MUNDI.
Quis tenui dicat præconia maxima verſu?
Hæc venerando magis poterunt quàm fando referri,
Quot ſub Sole artes genuit Tritonia doctas
Quicquid apud numeros, numeris aut orſa ſoluta
Venturis ſeclis commendavêre Papyri
Res veterum geſtas, bellove togave Quiritum,
Eloquij florentis opes, momentaque fandi
Omne genus ſcripti Vatum, æternoſque labores
Tradidit id nobis CALAMUS diuturnior annis,
Omnis ad hoc doctas Sapientia fonte papyros
Irrigat, & Sophiæ myſteria ſancta recludit,
Doctorum Genitor, tu rerum gloria ſumma!
Nam tibi debemus, quod nunc parvo ære parantur,
Magna quibus priſci impendêre æraria Reges.
Et quod nobilibuſque ignobilibuſque leguntur.
Secreta antiquæ Sophiæ diſcrimine nullo;
Scripta patent, non ſcripta latent, oblivio chartis
Nulla venit, Scriptæque manent in ſecula Leges.
Quis herbas floreſque, quibus ſunt nomina mille,
Mille poteſtatum vires, & mille colores?
Dulces quis ſuccos atque auxiliantia morbis
Gramina, quæ facile afflictiſque ſalubria membris,
Ambroſiæ ſuccos quoque odoriferam Panaceam,
Munere conceſſo Divûm mortalibus ægris
Sciret? vel ſecreta Senum, quid triſte repellat
Annorum ſenium, vitam dubiamque propaget

Quid Phœbus poſſit, nec non Cyllenius ales,
Quæ ſit morborum propriſſima cauſſa, quid artes
Efficiant medicæ, quæ vis operetur in herbis,
Quot ſint morborum ſpecies, quot nomina rerum,
Quid faciat ſomnos, quid hiantia vulnera claudat,
Quæ ferro cohibenda lues, quæ cederet herbis,
Et quæ præterea diverſos gramina ſuccos
Aut vires de Matre trahunt, quas prima vetuſtas
Tradidit & ſeri vix accepêre Nepotes:
Nunc medicas adhibere manus, & Apollinis artem
Tentant Archiatri, magna & latentia venis
Vulnera Pæonijs norunt relevare medelis,
Hepatis obſtructi pondus, ſplenisve gravamen,
Defectus animi, lapſaſque in corpore vires,
Tartareas Renum fæces, acremve Podagram,
Aut ſimiles ægro latitantes corpore morbos.
O decus egremium præclari muneris: à quo
Res humanæ, artes, & publica munia pendent!
Imbelles quis ad arma manus; ægroſque lacertos
Afferat? aut leges dicat delirus & amens?
Quis queat emenſum certis rationibus orbem
Scribere? divini quis tradere dogmata verbi?
Denique quid quis agat, membris ſi debita virtus
Deficiat? corpuſque ſui ſi deneget uſum?
Ipſa etenim ſacri, venerandaque pagina libri,
Aſſerit à ſummo hanc artem veniſſe Iehova,
Solamen cœlo miſſum mortalibus ægris,
Hinc Medici ſtudioſa fides, occurrere morbis
Advigilat; cui Rex ſuperûm decernit honores
Arte piâ dignos, coniunctaque præmia laudi.
Nam caput artificis, doctrinæ gloria, & amplæ
Subvehit artis honos; magni mirentur vt illum
Heroës, meritumque decus teſtantia, Reges
Dona ferant: quippe & Medicum divina creavit
Dextera; quod nequeat vita illo humana carere.
Quis titulos cedro dignos, quis commoda clara
Artis Apollineæ digno cantaverit ore?
Vix eius narret laudes Orpheia Mater,
Suſcipiat tantam molem; vix Cynthius auctor.
Quis duodena regit quæ Sol mundi aureus, aſtra
Frigida Saturni ſeſe quo ſtella receptet,

Huic Gazæ cedant, cedant æraria Crœſi
Cedant divitiæ, Craſſique talenta ſuperbi,
Aut quod habet Ganges vel dives Iberia mittit;
Gaza bonum fragile eſt, pia ſed doctrina perenne;
Scilicet eſt fluxum mortales quicquid habemus.
Quod Fortuna dedit cum vult Fortuna repoſcit
Per varias incerta vias & cœca rotatur:
Tollitur at mentis nunquam poſſeſſio firma,
Artes ingenuæ, Virtus, Sapientia; certæ
Hæ ſunt divitiæ, truculentum quas neque bellum
Nec mors ſuprema potis eſt rapuiſſe favilla.
Hæ verum efficiunt hominem Diviſque propinquum
Hæ recreant mæſtas dulci ſolamine mentes,
Et ſunt grata Seni requies portuſque laborum;
Cuncta trahunt tandem periturum cœtera finem
At viret extremum Phœbo ſacra Laurus in ævum,
Doctrinæ ſtat fixus honos; Muſiſque perennat
Gloria, Pieridumque decus dum tranſvolat annos,
Æternum ſibi longa parat poſt ſecula nomen.
Mors abolet quidquid fragili blanditur in orbe,
Sola manet virtus & clara ſcientia rerum;
Hæc tribuit laudem, ſummos largitur honores,
Hæc adoleſcentes agit, oblectatque ſenectam
Præterea afflictis præbet ſolatia rebus,
Divitijs animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus ex alta mortalia deſpicit arce.
Humano, fertur, prognatus ſemine Plutus
Aſt Iovis é cerebro nata eſt Tritonia Pallas,
Hæc nobis epulis magnis accumbere Divûm
Hæcque frui nobis dulci dat Nectaris imbre;
Pars minor eſt Hominis corpus, mens prævalet alma
Hinc maiora etiam mentis ſint gaudia oportet;
Ingenij monumenta manent & parta labore
Gloria non moritur, ſupereſt mens docta favillis
Hæres ipſa ſui eſt Muſarum dotibus aucta.
Heu mihi quæ res eſt jam perverſiſſima mundi,
Vſque adeò inviſa eſt probitas, odioſaque Virtus
Vt vitio detur didiciſſe fideliter artes
Et ſcelus eſſe pium cum littera regnet vbique,
Vtile dum omnes ſpretâ Virtute ſequuntur.
Sed quid? iniqua ſuos habeant ſibi ſecula mores,

Nobis ſat dignè penſat quemcumque laborem
Virtus ipſa ſuâ, qua claret, prædita dote;
Virtutis normâ quiſquis benè tranſigit annos
Cunctarum oblectat hunc diu ſcientia rerum
Et vili gaudet mentem ſubducere terrâ.
Summa petit livor, perflant altiſſima venti
Quod terrena ſapit, terrenis gaudet & vſque
Vilia delectant viles & turpia turpes,
Non Phœbea petit ſed terrea munera vulgus
Hinc premit æternis illum nox alta tenebris,
Et nimis infelix inglorius exigit ævum.
Priſcos jactat avos non nevo opibuſque ſuperbit,
Ventoſus alius quatit alto vertice criſtas
Ferratâque gemit pallescens Plutus in arca
Sed Muſæ riſus illi & Parnaſſia rupes,
Solus inops Muſâ cum paupere ſordet Homerus;
Si nihil attuleris, non huc Romane venito
Vates, qui nummis caret arte carere putatur,
Sic ſolet ignotum ridere ignobile vulgus;
Sus veluti gemmas nil æſtimat eſſe, leveinque
Plus paleam & ſiliquas & amat cum ſtercore glandes,
Quam lapides rubri maris & precioſa metalla.
Purus at Aonidum Cultor, Phœbique Sacerdos
Spernere nunc didicit mundi ludibria, quæ Sors
Improba largiri & ſtultis ſolet atque ſceleſtis
Divitiaſque ſuas tacitus miratur amatque,
In quas nec Morti, nec Sorti & vllâ poteſtas
Vanaque deſpecti contemnit præmia vulgi,
Omnia fert ſecum (ſonat vt vox ipſa Biantis)
Exultans cœli Spolijs mortalia temnit
Invidiâque ſuâ maior Virtutis amore
Recta facit; leges populi, Prætoris Iura
Nil timuiſſe poteſt, ſolo ſat tutus honeſto,
Hinc it per varios caſus & mille labores
Tutus, in anguſtis, ærumnarumque procellis
Ludrica fortunæ ridens, caſuſque protervos;
Proſpera fert ſapiens modice, nec frangitur arctis
Et tacitos ſinit ire dies & paupere cultu
Exigit incertæ tranquilla ſilentia vitæ.
Vera etenim Virtus fortunæ cedere neſcit
Tangere mortales tenebras, cœlique beatas
Geſtit

Circumagat, quantumque volans ferat Vngula Sydus
Sanguineis horrendą jubis, quo lumine Delphin
Fulguret, aut quali rutilet Iovis armiger aſtro.
Quo Cetus candore micet, quo ſtellifer amnis
Eridanus, quæ ſigna ferat nimboſus Orion
Flammiferique Canes, trabibuſque exciſa ſonoris
Præbeat aurati prædatrix Velleris Argo.
Alcidæ quibus Hydra labor criſtata colubris,
Intumeat, quantoque pater Cratere Lyæus
Mulceat æternam donis juvenilibus Heben.
Aut cur vocalem Lernæa ad ſydera Corvum
Semivir infeſtus videat, ſacrataque Veſtæ
Luceat æternis ardeſcens ignibus Ara.
Aut cur nexilibus ſtellarum regia fertis
Floreat, & patrio victuram funere ſtellæ
In cœlo mirentur Avem. Cur Lacteus extet
Circulus, an Phrygio puros ex ubere tractus
Exhibeat, num candidulo ſub limite cœli
Velet inerrantes obſcuro tegmine ſtellas.
Quo Phœbus fervore polum, terræque vapores
Torreat, & fluidum tenebroſis aëra fumis.
Quid cœlo Latona ferat, num neſcia fuci
Aſpiciat puro mortalem lumine mundum,
Quidve ipſam pallore notet, luciſne Laborem
Sentiat, an faciem Temeſæo debeat æri.
Quid minuat Solare jubar, mundique tenebris
Flagrantes abſcondat equos, quid Sydera labi
Fixa polo, faciatque vagos trajectibus ignes
Sublimem mutare locum, qua ſede Cometes
Se oſtendat terris, num ſupra cornua Lunæ
Ardeat, an coctam viſcoſo è ſumine nubi
Intendat natura facem, cur fulmine Mavors,
Frigore Saturnus noceat, cur regna ſecundet
Iupiter, & blandi Venerem comitentur amores.
Cur Phœbe dominetur aquis, æſtuque timendo
Irritet Tritona vagum, num flammifer ignis
Convexum Lunare premat, cur frigidus aër
Grandinet, & canam nivium candore Pyrenen
Ac celſam velet Rhodopen, cur pondera terræ
Occultum concuſſa tremant, num Spiritus imo
Exeat, & ſtygijs halantes faucibus auræ

Impellant

Impellant molem; atque illo de gurgite peſtes
Cocyti mala ſtagna parent, avidoque peruſtus
Igne lucem portet Phlegeton, n'imi noxia ſtellæ
Inducant alto fluidæ contagia nubi;
Num grave ſe centrum moveat, moliſque rotatæ
Det ſinuum Titana labor, quid Danicus Atlas
Senſerit, & claram cœli provecta ſub Arcton
Vranie, ſolerſque novâ Lansbergius arte.
Quæque aſtris ſit danda fides, quo Rector Olympi
Incumbat celſus ſolio, rituque verendo
Singula ſuſpenſis innectat fata catenis.
Ethicus oſtendit, deceat quam degere vitam
Et quoque qui mores deceant, quid ſpectet honeſtas,
Quæ ſummi ſit meta boni, quæve orbita rectum
Signet iter, quò ſe confundat devius error
Et quid quiſque ſibi, aut Patriæ, quid debet amicis,
Quot virtus fluat in rivos, quo cardine honeſtum
Vertatur, rebus quantum Fortuna caducis
Præſit, vt humanos toleret mens cruda tumultus,
Quæ Cives menſura premat, quo robore leges
Firmentur, plus conſilio res creſcat an armis
Publica, quas belli tentet Dux callidus artes.
Ingenium exercet Logica Dialecticis arte
Dogmaticas agitat placido certamine lites
Atque Sophiſtarum contortos ſolvit elenchos.
Prodijt hinc validas Linguæ quæ flectit habenas
Rhetorica eloquijs pollens, Reginaque rerum.
Hinc procul & latè Latialis gloria linguæ
Auditus Cicero, tonat & quatit omne tribunal
Conſilio gravis & lingua dictiſque diſertus
Purpureoſque trahit Proceres, Dominoſque Quirites.
Artes ingenuæ florent, vigor excitat omnes!
His ſtudijs vitæ conſiſtit ſumma beatæ,
Barbarie exploſâ Muſæ hinc toto orbe triumphant.
Heu mihi temporibus quanta ignorantia noſtris
Barbarieſque foret, quibus errabunda tenebris
Poſteritas ageret lachrymoſum inglorìa ſeclum
Si Calamus noſter cum littera abiret in auras?
Quô ergò divitias eius ſitis ore canendo
Exequar? haud illi plena ſe conferat vrna
Hermus & aurata radians Pactolus arena.

Huic

Ergò age ſtirps hominum, clarum quæ ducis Olympo
Sidereo genus hinc lætumque expromito vultum,
Dum vivit Virtus, virtutis præmia vivent,
Officijs ſaltem per te læteris honeſtis
Et benè de multis ſic promeruiſſe juvabit.
Quid toto quæſo? quid conijcis orbe futurum
Si ſimul ipſæ artes & littera abiret in auras.
Sufficerent Cives vnde Vrbibus, vnde Regentes
Vnde Deo, ſanctâ populos qui voce docerent?
Aliger ex ligno quovis non ſculpitur Hermes,
Nos fecit Natura rudes, cultura laborque
Expolit atque animos format fingitque colendo
Obſcura cæcam evolvens caligine mentem
Efféra & egregios fundens in pectore mores.
Heîc Muſarum Helicon: quo ſe ceu fonte juventus
Abluit, ac puris abſtergit barbara lymphys.
Artibus imbuitur Iuvenis ſub flore iuventæ
Annoſuſque Senex fruitur ſtatione beatâ.
Denique quis noſſet Coeli, terræque Monarcham,
Duceret & trames quis ad altas illius ædes?
Non hunc humanæ monſtrat rationis amuſſis
...ut & Mercurii longo poſiti ordine, quondam
...er ſylvas Priſci poſuerunt ſicut opacas,
...e illum mentem immenſam, rerumque potentem,
...anctaque complexum, ſtabili qui lege gubernat
...turam, mundique vices, qui fata ſolutis
...jugat arbitriis, qui temperat omnia ſolus.
...uid multis? mundus, veluti non igne carêre,
...n undis potis eſt, nec claro lumine Solis,
... quoque Pieriis qui pollent artibus, atque
...tropiæ clarent Studiis, bene non caret orbis.
... dum flamma fuit, dum Ponti cœrula ſtagna
...n Phaëtontis equi, noctemque diemque tulêre.
...que Stylo & Calamo, ſine ſcriptis ullibi nemo
...ſit doctus, ſanctæ vel Myſta Minervæ;
...ò Stilum tollas, tolles ſimul inde ſtupendæ
...nis & artis opus, ſublatis artibus, omne
...ſceleris Coelum, terraſque inverteris omnes.
...ac atque levis quid poſſit Penna videto,
...d valeat Calamus. Tantum non bella cruenta

Efficiunt

Efficiunt Martis; cum nec concurrere in arma
Et glomerare manum pugna cui detur, ad illam
Atque Styli recte ducti nisi venerit uſus,
Ab hoc militiæ leges, mandataque caſtris
Accepit Bellona rudis, cum propugnacula ſolers
Scribere, & imbelli poterit ſignare papyro
Grande rudimentum, quod publicus excolit uſus,
Nemo Geometrico circo ſine, regula & umbris
Alcidæ contra incurſus, clavamque potentem
Cinxerit aggeribus, foſſis & mœnibus urbem,
Nec quiſquam campis ſua caſtra patentibus hoſtes
Rellinquet contra palis infixa, vel arcem
Extruet excelſam, qua procelare phalanges
Vndique prævaleat, caſtri ſive educere turmas,
Totius ac aptum pugnæ componere vultum,
Seu ſit opus quadratum acies conſiſtat in agmen
Seu nova creſcentis imitetur cornua Lunæ
Seu placeat cuneo ſi quando ad prælia ventum
Explicatâ adverſis ſignis concurrere fronte
Seu libeat duplicem vel junctum cernere Martem
Aut præpilatis aciem perrumpere contis
Seu fronte adverſa tormentum figere ahenum.
Conſiliis opus eſt, nec aperto ſingula bello
Fiunt, Arte cadunt plures, ſæpe unius hoſtes
Quam Marte aut gladiis aliorum mille cruentis,
Cæſaris hinc ſtatuam quidam finxêre globoſo
Sub pedibus mundo, tenuit dextra ardua ferrum,
Altera ſed librum verbis à vertice ſcriptis:
EX HOC REX MUNDI FACTUS, ISTO SUM FACTUS UTROQUE.
Hinc & Alexander divina Poëmata Homeri
Nocturnaque manu voluit, volvitque diurnâ
Grataque capturus tandem ſua munera ſomni
Sub cervicali voluit requieſcere ſecum,
Nam (mihi crede) togæ paciſque induſtria nutrix
Gradivo comes it Iovis inclyta Filia Pallas;
Concordes ſociant animos frenisque ſub iiſdem,
Siquidem hæc eadem Mavortem in prælia duxit,
Hinc pacis bellique modum ferrique togæque
Fas docet, & rerum moles quid publica poſcat,
Phillyrides veluti puerum formavit Achillem
Imbuit & dulci Muſarum nectare mentem

Ac Linus

At Linus Herculeum monuit pectus in arte;
Mars tantùm ſolido nervorum robore gaudet;
Robore nervorum longè Sapientia præſtat.
Gradivus Phœbo minor eſt, Bellona Minervâ;
Et Calamus frameâ quoque dignior, enſe liberque,
Viribus ingenium moderatur cuncta miniſtris.
Arma gerit Bellona: At Pallas arma gubernat
Legibus & pacem firmat, fluctuſque minarum
Componit, rabido pereant ne cuncta furore,
It Ducibus Doctrina comes, cum milite Phœbus
Ambulat, & medijs Sapientia gliſcit in armis,
Hac ratione etenim coëunt cum faſcibus enſes,
Cum caſtris civile forum, cum milite lictor,
Irradiantque togas phaleræ, phaleraſque ſecures,
Muſis cum rigido ſic ſunt negotia Marte;
Numina conſpirant inter ſe, & mutua præſtant
Auxilia, & ſacras Bellonæ tympana Muſas
Sollicitant. Artem fas eſt coniungere Marti,
Inde Duces omnes hodiè noſtroſque per annos
MVSARVM primùm ſtudijs invigilare videmus
Et Calamo nigro ſine cæde & ſanguine pugnam
Edere, ſucceſſit ſed cum maturior ætas
Poſt benè Pierijs imbutum pectus ab undis
Tum demum juvenes tentare in corpore vires
Inque armis rigidos Martis tolerare labores.
Stare nec humanæ poſſent commercia vitæ
Vlla diu, humanæ fulcrum commercia vitæ
Si caderet Calami, totus ceſſaret & uſus;
Scilicet haud profert, quibus indiget omnia tellus
Vna, ſed ac alias opus eſt adducere merces,
Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ;
Arboreæ fœtus alibi & cereale papaver,
ndia gignit ebur, dat olens Chaldæus amomum
uſcus arabs gemmas & amænas mittit bdolles,
ut thuris lacrymas ſtillantem cortice myrram.
ic ſua dona dedit magni Regnator Olympi
t ſine finitimis regio conſiſtere nulla
oſſit; at inde ſibi vitæ quoque commoda portet,
is alijſque ſimul careat; niſi nuntius ille
ercurius pennis ſtridentibus aëra tranet
uc illuc ſubitò portans commercia ſecum.

Impiger

Impiger inde nigros currit Mercator ad Indos,
Mercibus ac aliis mutat ſub ſole recenti
Rugoſum piper, & pallentis grana Cumini,
Atque Arabum venatur opes, merceſque Sabæas
Et fortunati veſtigat dona Canopi,
Hiſpanis Cererem cum Bacho mutat in oris
Advehit hiſce plagis merces, nunc avehit iſtis,
Sedibus incertis errat, nec gurgite ſalſo.
Sexcentis vitam timet objectare periclis;
Aſt, ut longinquis faceret commercia terris
Hæc ſua Mercator? proh! quomodo venderet aptè,
Ac emeret, Calamo niſi cuncta coëmpta notaret?
Per mare pauperiem fugeret, per ſaxa, per ignes,
Quæreret ac lucrum ſibi nummis totius orbis,
Ni pretium rerum ſimul ac inquireret omne
Per numeros, quanti conſtent & quæque minuta,
Irus forte brevi pauper, ditiſſimus eſſet.
Relliqua ſic Calamo ſine vita domeſtica nunquam
Eſſe poteſt, charis & Epiſtola ſæpè propinquis
Perſcribenda venit, reliquæque negotia vitæ
Expoſcunt Crenam, ne languida noſtra vacillet
Mens & ſubrepant damnoſa oblivia rerum;
Ergo cum Calamus tot commoda conferat orbi,
Et poſſit lymphâ prius, igne carere vel aura:
Hinc fit ut extollat quoque tanta ad culmina honorum
Illum præ reliquis qui complectuntur amore,
Aſſiduaque manu tractant, noctéſque dieſque.
Eſt queîs graſſatrix in levi Penna papyro
Id, quod ruricolis eſt pingui vomer in arvo;
Deſine Mænalios ſed jam mea tibia verſus
Deſine, quoſque magis doctus dilexit APOLLO
Vatibus has Calami laudes relinque canendas.

FINIS.